

Directions: Work through the Legamus packet #1.

Aeneid II.531-546

Ut tandem ante oculōs ēvāsit et ōra parentum,
concidit ac multō vītā cum sanguine fūdit.

Hīc Priamus, quamquam in media iam morte tenētur,
nōn tamen abstinuit nec vōcī īraeque pepercit:

`At tibi prō scelere,' exclāmat, `prō tālibus ausīs, 535
dī, si qua est caelō pietās quae tālia cūret,
persolvant grātēs dignās et praemia reddant
dēbita, quī nātī cōram mē cernere lētum
fēcisti et patriōs foedāstī fūnere vultūs.

At nōn ille, satum quō tē mentīris, Achillēs 540
tālis in hoste fuit Priamō; sed iūra fidemque
supplicis ērubuit corpusque exsanguē sepulcrō
reddidit Hectoreum mēque in mea rēgna remisit.'

Sīc fātus senior tēlumque imbelle sine ictū
coniēcit, raucō quod prōtinus aere repulsum, 545
et summō clipeī nēquīquam umbōne pependit.

Directions: Work through the Legamus packet #2.

Aeneid II.547-566

Cui Pyrrhus: `Referēs ergō haec et nuntius ībis
Pēlīdae genitorī. Illī mea trīstia facta
dēgeneremque Neoptoleum nārrāre mementō.
Nunc morere.' Hoc dīcēns altāria ad ipsa trementem 550
trāxit et in multō lāpsantem sanguine nātī,
implicuitque comam laevā, dextrāque coruscum
extulit ac laterī capulō tenus abdidit ēnsem.
Haec fīnis Priamī fātōrum, hic exitus illum
sorte tulit Troiam incēnsam et prōlāpsa videntem 555
Pergama, tot quondam populīs terrīsque superbum
rēgnātōrem Asiae. Iacet ingēns lītore truncus,
āvolsumque umerīs caput et sine nōmine corpus.
At mē tum prīmum saevus circumstetit horror
Obstipūī; subiit cārī genitōris imāgō, 560
ut rēgem aequaezum crūdēlī vulnere vīdī
vītā exhālāntem, subiit dēserta Creūsa
et dīrepta domus et parvī cāsus Iūlī.
Respiciō et quae sit mē circum cōpia lūstrō.
Dēseruēre omnēs dēfessī, et corpora saltū 565
ad terram mīsēre aut ignibus aegra dedēre.

Directions: Fully identify all words in the highlighted section. Then translate the highlighted section.

Aeneid II.735-751

Hīc mihi nescio quod trepidō male nūmen amīcum 735

cōnfūsam ēripuit mentem. Namque āvia cursū

dum sequor et nōtā excēdō regiōne viārum,

heu miserō coniūnx fatōne ērepta Creūsa

substitit, errāvitne viā seu lassa resēdit,

incertum; nec post oculīs est reddita nostrīs. 740

Nec prius āmissam respexī animumque reflexī

quam tumulum antīquae Cereris sēdemque sacrātam

vēnimus: hīc demum collēctīs omnibus ūna

dēfuit, et comitēs nātumque virumque fefellit.

Quem nōn incūsāvī āmēns hominumque deōrumque, 745

aut quid in ēversā vīdī crūdēlius urbe?

Ascanium Anchīsēnque patrem Teucrōsque Penātēs

commendō sociīs et curvā valle recondō;

ipse urbem repetō et cingor fulgentibus armīs.

Stat cāsūs renovāre omnēs omnemque revertī 750

per Troiam et rūsus caput obiectāre perīclīs.

Directions: Fully identify all words in the highlighted section. Then translate the highlighted section.

Aeneid II.752-770

Principiō mūrōs obscūraque līmina portae,
quā gressum extuleram, repetō et vestīgia retrō
observāta sequor per noctem et lūmine lūstrō:
horror ubīque animō, simul ipsa silentia terrent. 755

Inde domum, sī forte pedem, sī forte tulisset,
mē referō: inruerant Danaī et tēctum omne tenēbant.

Īlicet ignis edāx summa ad fastīgia ventō
volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad aurās.
Prōcēdō et Priamī sēdēs arcemque revīsō: 760

et iam porticibus vacuīs Iūnōnis asylo
custōdēs lēctī Phoenīx et dīrus Ulixēs
praedam adservābant. Hūc undique Trōia gaza
incēnsīs ērepta adytīs, mēnsaeque deōrum
crātēresque aurō solidī, captīvaque vestis 765
congeritur. Puerī et pavidae longō ordine matrēs
stant circum.

Ausus quīn etiam vōcēs iactāre per umbram
implēvī clāmōre viās, maestusque Creūsam
nēquīquam ingemināns iterumque iterumque vocāvi. 770